



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

2. Historia mirabilis de bonorum operum retaliationione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

Talio enim qualitatis est, non quantitatis. Et ad diuinam pertinet liberalitatem, vltra meritum præmia refundere; ad diuinam clementiam, citra condignum statuere pœnas. Ita que eadem mensurâ, non re, sed proportione remetietur. Proportione quidem, quia quò nos erga alios, vel seueriores, vel liberaliores fuerimus, hoc etiam erga nos seuerior, vel liberalior erit Deus; tamen si eius misericordia infinitis semper partibus maior sit nostrâ. Longè igitur maiora sunt præmia meritis nostris, quia *non sunt condigna pœsiones huius temporis ad futuram gloriam, qua reuelabitur in nobis, & quod in presenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, æternum gloria pondus operatur in nobis.* Atque hoc quidem in altera fiet vita. Quoniam autem multi presentibus magis mouentur, quàm futuris, etiam huius vitæ quadam paratione nos vult regi noster legillator. Hinc illa reliquit oracula: *Omnia quaecumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hac est enim lex & Propheta.* Atque alibi, cum mandatum de Deo diligendo recitasset, subiunxit: *Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut teipsum. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Propheta.* Mensura diligendi proximi, est amor quo nos volumus diligere: volumus autem nos maximè diligere, necesse est igitur, vt & proximum maximè diligamus. Neque dilectionis tantum est hæc regula, sed omnium etiam nostrarum actionum. *Omnia, ait, quaecumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Quibus verbis nos monet, vt tales simus in alios, quales in nos illos experimur. Id ipsum exprimunt & leges ciuiles, in quibus vulgare est illud: *Quod quisque iuris in alterum statuit, ipse eodem iure vti debet. Hoc edictum, inquit Vlpianus, summam habet æquitatem, & sine cuiusquam indignatione iusta. Quis enim aspernabitur, idem ius sibi dici, quod ipse alijs dixit, vel dici effecit? Necessè est ergo, vt quod ipse quis in alterius persona æquè esse credidisset, id in ipsius quoq; persona valere patiatur.*

Coniugum par erat, vitâ dispar. Vxor pia, impius maritus. Vt ergo illa hunc Deo lucraretur, in talem modum Dei Matrem rogauit: O Dei & misericordiæ parens, Si tu meo, & ego tuo loco essem, quid, & quo pacto velles à me, pro te, orari, fierique? Id igitur nunc tu ora, & impetra pro me, proque impio meo coniuge. **Redne illum, obsecro, ab iniquitate & vsuris suis in viam iustitiæ,**

Rom. 8. 18.
2. Cor. 4. 17.
Vide S. Aug.
de Trin. lib. 20.

Matth. 7. 12.
Luc. 6. 31.

Matth. 22. 38

Matth. 7. 12.

ff lib. 2. tit.
2 L. 1. quod
quisque iuris

II.

Ex Gemma
F. d. Vngari
Min. ser. 70.
Et Stemmat.
Mariano 117
Iunij.

ô misericors Virgo. Sic precata, aliquot religiosos ad prandium in-
 uitavit; neque sanè inuito coniuge, qui eos comiter excepit, sed
 illam legem, condicionemque posuit, ne quis inter conuiuandum,
 sermonem vllum de Deo, deque rebus ad animæ salutem pertineo-
 tibus inferret. Neque enim tales offas in suam esse mensam infe-
 rendas. Ibi lætitiæ & lautitiæ locum esse. Illi ingenijs hominum se
 accommodare, & tempori seruire gnari, accepta condicione, inter
 dapes lætè agebant; neq; sacra homini profano obrudere inuito
 voluerunt, opportunitatè expectandam rati. Epulo autem finito,
 vnus suo, & ceterorum nomine, eum liberalitatem eius laudasset,
 in vicem gratiæ referendæ, hoc, inquebat, documentum à me
 cape: *Omnia, quacumq; vis, vt faciant tibi homines, & tu facito illis, &
 quod tibi non vis fieri, alteri, ne feceris.* Si Deus esses, ab hominibus
 velles præcepta tua seruari; te & matrem tuam amari ex tota
 mente, Eucharistiam frequenter sumi, à nullo blasphemari, à nul-
 lo proximum decipi vel occidi, de nullo domum tuam spurcitijs &
 immunditijs inquinari. Hoc breue documentum, ita altè in præ-
 cordia illi descendit, vt vberes ei lacrymas excuteret. Itaque die
 altera, toto in ea regula exequenda animo versans fortè ibi transi-
 bat, vbi conspexit molitorem, in rota, quam nimbus & inundan-
 tes aquæ axi suo excusserant, restituenda vehementer laborantem.
 Subijt ergo animum illius hesterni documenti memoria. Et hem,
 inquit, si tu iste molitor esses, nonnè velles alios venire tibi auxi-
 liatum? Mox igitur ex equo desiliens; idem facere iubet famulos
 comitantes. Ita coniunctâ operâ rotam in locum suum reponunt,
 cum tanta molitoris admiratione, quam lætitiâ. Addit deinde
 aliud beneficio beneficium, nam & damnum illi illatum sarcit.
 Mox prioris vitæ pœnitens, atque in virtutem pronior, vxoris
 præsertim instinctu, quidquid alieni possidebat, ad dominos remi-
 sit. Cogitabat enim, etiam se sua, si qua essent apud alios, libenter
 recepturum. Exinde semper doctior, proficiebat ita, vt quemcum-
 que obuium aspexisset, semper documenti sibi à Religioso dati
 meminisset. Ea mente cum esset, incidit in hominem mendicum,
 non inopia solùm, sed & morbis oppressum, qui stipem petebat.
 Ibi tacitè mens illi suggessit, quid, si tu mendicus ille esses, tibi fieri
 optares? nonnè stipem dari? Dabo igitur. Enimuerò optares, te
 domum

domum duci. Ducam igitur domum. Quin & ad mensam te admitti desiderares. Admittam igitur ad mensam, & tamquam Christo seruiã. Et quia crescebat semper in pectore illius diuinus ignis magis, ac magis, eò se documentum illi traditum extendit, vt fœdum illud & vlcibus coopertum mendicabulum à cœna, in proprium cubile deduceret, atque in suo & lecto collocaret; cogitabat enim & sibi gratum futurum, si id fieret similiter agrotanti. Quin & illud dictabat eadem regula charitatis: Si tu tam exhaustis viribus cum morbo colluctareris, nonnè velles tibi aliquem astare, & vigilem excubare? Velles vtique. Excubabo igitur & ego isti. Altera iam transferat noctis vigilia, cum inter gemitus audire miserandum in modum exclamantem ægrum, ac dicentem: Ah, vt fitio! heu siti enecor! moriendum est mihi, nisi quis me frigida refocillet. Quam vocem vbi intellexit excubitor, protinus ita se se ipsum est allocutus: Si tu ita constitutus siti arderes, nonnè velles tibi ab alio gelidissimum haustum afferri? Velles vtique. Itaque sine mora cucurrit, atque properè aquam è puteo haurire cœpit. Nimia properatio fecit inattentum; immò diuina prouidentia, quæ pro haustu aquæ frigidæ, cælum promisit, eum cælo maturum iudicauit. Nam dum ille festinanter situlam è puteo attrahit, attractus est ipse, vrnâ aquis grauidâ præponderante, submersusque expirauit. Facto die, duos familia desiderauit; nam neque mendicus in lecto, neque herus in domo repertus est. Diu, multumque requisitus, neque inuentus cum esset, fuit, qui se eum, media circiter nocte, per scalas descendentem audiuisse diceret. Adeunt igitur puteum in atrij vmbilico stantem. Inspiciunt curiosius, reperiuntque in caput præcipitem lapsum, & aquis suffocatum. Fit clamor, concurritur, luctus ingens omnes inuadit, sed mox in admirationem & gaudium mutandus. Nam postquam eum iniectis funibus, resupinum è puteo extraxerunt, collum aureo torque ornatum videbatur, ita splendebat. Sed non erat torques; litteræ erant supra aurum effulgentes, quæ hanc sententiam expresserant: *PRIVSQVAM HOC CORPVS IN AQVA FRIGIDVM FACTVM EST, ANIMA ILLIVS AB ANGELIS IN CAELVM PORTATA EST.*

Ecce tibi talionem, & retaliationem. Quemadmodum enim opera iniustitiæ, ita & opera misericordiæ suam habent compensationem;

III.